

per illam sospites, statuam Romae crexerunt. Ab his postquam (ait Plin. 34. cap. 6.) qui una obsides fuerant, redditis a Porfenna in honorem ejus. Non ab ijs, sed a cunctis civibus statutum in virtutis commendationis monumentum, dicit Livius, lib. 2. sect. 43. Pace redintegrata, Romani novam in femina virtutem novo genere honoris statuam equestri donaverunt: quae posita, qua sacra via itur ad Palatium. Plutarch. in Poplicol. Statua fuit equestris, quoniam equo Tiberium penetravit, & in ulteriorem ripam sine timore devenit. Claudian. 2. Stilicon.

Clau- dian.

Mersit, & attonitum tranavit Cloelia Tybrim.

Celebrant Virgil. 8. Aeneid. v. 651. Plutarch. de Virtut. Mulier. cap. 14. & Juvenal. Satyr. 8. v. 269. facinus, etiam gestis praeclearis objectis, uti summum extollit.

Juvenal.

Quod miraretur cum Coelice Mucius, & quae Imperij fines Tyberinum virgo natavit. Mirum, ut constet quantus virtutis animus, & ad illam motus, quod refert Sil. Italic. 10. de Bell. Punic. à v. 492.

Sil. Italic.

Bis Cloelia senos Nondum compleverat primae corporis annos, Et fluvio spreto mirantem interrita Tybrim Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis. Et genus & clara memorandum a virgine nomen.

Ejus statua prima Romae dicata.

Honor Coeliae in statua amplior, quia equestris, & inter primas prima collocata ac sacra statua. Cloelia enim (subdit d. Plinius) statua est equestris, ceu parum esset togam eam cingi; cum nec Lucretia nec Bruto, qui expulerant Reges, propter quos Cloelia inter obsides fuerat, decernerentur. Hanc primam & Horatii Coelitis publice dicatam crediderim. Adfuit diem 9. à n. 22.

Cn. Sejus.

12. Hoc die post 466. annos, secundo Triumviratus, dum jam a Senatu illius confirmata potestas, de quo 27. Novembr. jussu M. Antonij Triumviri occisus est Cn. Sejus, amicus M. Emilij Lepidi, in proscriptione execrabilis, scandalo Imperij, ex tyrannica atque odiosa potestate. Sejus occubuit, ejusque infelicitas tribuitur equo, ab illo dicto Sejano, eo quod quicumque equi dominus, male perit. Meminit Erasim. in Adagijs, Chiliad. 1. Centur. 10. n. 97. Alex. Neapol. 5. cap. 15. & La-Cerd. in illud Virgil. 1. Aeneid. v. 756. Nunc quales Diomedis equi: ex quibus originem traherat Sejanus. Hi fuerunt Regis Thraciae omnino feroces, ignem spirantes, singularis coloris & magnitudinis, nutriti humano sanguine, quos a Diomede viri-

Equus Sejanus.

bus abstulit Hercules, & a Thracia transfudit Argos. Natal. Com. 7. Mytholog. cap. 1. & Apollodor. 2. Biblioth. cap. 18. Albric. de Deor. imagin. n. 22. & Palephat. 1. de Non credend. fabul. n. 4.

13. Tota historia ex eventu infausto equitum, & fabula de genere equorum, refertur graphicè ab Aul. Gellio, ut digna memoria & admiratione. Cneum Sejum fuisse (ait 3. cap. 9.) eumque habuisse equum, natum Argis, in terra Graecia; de quo fama constans, tanquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuisset, quos Hercules illo occiso, a Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magnitudine inusitata, cervice ardua, colore Phoenicio, flavo & comanti juba, omnibusque alijs equorum laudibus quoscumque longè praestitisse: sed eundem equum tali fuisse fato, sive fortunam ferunt; ut quisquis haberet eum, possideretque, is cum omni domo, familia fortunisque omnibus suis ad interitum deperiret. Itaque primum illum Cneum Sejum dominum ejus a Marco Antonio, qui postea Triumvir Reipubl. constituenda, fuit, capitis damnatum, miserando supplicio affectum esse. Eodem tempore Cornel. Dolabellam Consulem in Syriam proficiscentem, fama istius equi adductum, Argos divertisse, emisseque eum H. S. centum millibus; sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessam, atque interfectum esse. Mox eundem equum, qui Dolabella fuerat, C. Cassium, qui eum obsederat, adduxisse: quem Cassium postea sacris norum est, a Parthis suo exercitu suo, miseram mortem oppetisse. Deinde Antonium post interitum Cassij, parva victoria, equum illum nobilem requisivisse: & cum eo potius esset; ipsum etiam postea victum atque desertum, detestabili exitu interisse. Hinc proverbium de hominibus calamitosis oritur: ille habet equum Sejanum.

14. Eodem die Ann. v. c. 724. Augustus honorem, quem non expectaverat, adeptus est. Ita ergo Goltz in Fastis, pag. 201. inscriptionis monumentum observat: Imperator Caesar Octavianus, in hoc honore Republica conservata, a Senatu populoque Romano, Pater Patriae appellatus est. Referunt etiam K. R. Gyrald. Reufner. & Rosin. 4. cap. 4. & 5. Per Valerium Messallam, id mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi, domuique tuae, Caesar Auguste (sic enim nos perpetuam felicitatem Reip. & lata huic precari existimamus) Senatus Te consentiens cum P. R. consalutat Patriae Patrem. Cui lachrymans respondit Augustus: Compos factus votorum meorum P. C. quid habeo aliud Deos immortales pre-

Equi domini.

Augustus saluatur Pater Patriae.

cari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vita suam mihi perferre liceat? Sueton. in eo, cap. 59. Prae gaudio lachrymatus (quod etiam contigit Trajano, populo fausta precanti: ut ait Plin. in Panegy.) operavitque, ut perpetuo illa appellatione dignus esset. Nervosè ac eleganter Ovid. 2. Fastor. à v. 121.

Ovid.

Dum canimus sacras alterno pectore Nonas, Maximus his fastis accumulatur honor. Sancte Pater Patriae, tibi plebs, tibi curia nomen Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques. Res tamen ante dedit: sero quoque vera tulisti Nomina, jam pridem tu pater orbis eras.

Summe populi Roman. acceptus.

15. Testimonium amoris fuit honor excellentioris magnificae dignitatis: equidem ita cunctis acceptus; ut nonnulli testamento suis haeredibus imponerent, deferri in Capitolium victimam, eod quod superstitem Augustum reliquissent. Sueton. quò dudum: cunctis conclamantibus: De nostris addat tibi Jupiter annos. Ideo ut Reipublicae tutor datus a Jove, & Cicero somniavit Deum illum catenam auream demississe de caelo; expositis in prognostica illius amabilis regiminis alijs ostentis, de quibus fuscè, 25. Decembr. à n. 11. ex Sueton. ibid. cap. 94. & Fier. Valer. 48. cap. 17. At cum lata tristibus nonnullam mista; eodem die nuncium accepit de vitae discrimine M. Vipfianij Agrippae, apud illum magni pretij, & jure; non tam affinitate, quam dotibus singularis & prudentiae & providentiae: qua de causa ann. C. V. 735. apud Goltz. d. legitur ex Senatusconsulto: Imperator Caesar Augustus & M. Vipfianus Agrippa Reipublica constituenda potestatem in quinquennium acceperunt.

Infirmatur lehaliter M. Agrippa.

Triumphus Junij Pera.

16. Ann. ab hinc retrò 254. C. V. 488. de Salentinis triumpharunt Fabius Pictor, & D. Junius Pera Cos. Ille in Kalendis (de quo n. 16. hic Nonis. Goltz in Fastis, pag. 80. & Reufner. in Diar. Hoc bellum prorsum injustum avaritià ac rapacitate Romanorum, etsi coloratum foedere cum Pyrrho, Epirotarum Rege, ac Romanorum hoste, ut indicatum, 25. Januar. n. 11. De illo Brie-tius, ann. cit. Rebellayer Salentini, junctaque arma Romanorum concitarunt: verum belli hujus memoria deleta est, nec nisi in Tabulis Capitolinis & triumphorum albo remanet.

17. Athenis votum sacrum, institutum in Thesei honorem, quo in festo puellae choreis agentes, canebant: Eamus Athenas. Meurf. Graec. feriat. ex Plutarch. in The- Tom. I. Ephem.

seo. Haud institutio cogitata quia ex dispersis hinc inde constituit civitatem, quae a Minerva accepit nomen Athenarum; cuius congregationis festum dicebatur Metacacia. Agemus 16. Jun. num. 13. Festivitas a puellis, quae etiam in civitate sub Aegeo natae, fugiebant in pagos, ne ingrederentur in sortem ad Cretensem Minotaurum sub jugo Minois. Instituerat enim ut quotannis pro vectigali in Minotauri cibum (in labyrintho Daedali inclusi) septenos viros Athenienses mitterent, totidemque puellas. Hygin. fab. 41. Apollodor. 3. Biblioth. à n. 1. & Ovid. 8. Metamorph. fab. 2. Theseus filius Aegei, Athenarum Principis, in sortem sese ultro obtulit, in labyrinthum inclusus Minotaurum aureo Ariadnae filo ductus, interemit, victor Athenas cum pueris & puellis appulit, excussio jugo lamentabilis fortis: quo quidem cum jam virgines essent liberae, periculique expertes, ex burgis procellerunt gaudibundae in civitatem; canentes, Eamus Athenas. In hujus libertatis memoriam instituerunt votum sacrum: chorulque finem habebat ad navem Thesei. Navim triginta remis apram, in qua cum pueris Theseus abiit & redijt, Athenienses usque ad tempora Demetrii Phalerei conservarunt; ligna vetusta subinde dementes, nova alia valida addentes, ac compingentes: ita ut Philosophi de ratione incrementi disputationibus navis ea exemplo fuerit; cum alij eandem navim permanere, alij non perdurare dicerent.

Votum sacrum.

Metacacia.

Navis Thesei.

Delphin pueri amantiss.

18. Eodem die, quinto Dyftri, seu Dioscuri, coram Alexandro Magno juxta Miletum; puer vocavit Delphinum, qui ejus vocem statim agnovit, & dorso veniens ludibundus accepit, in mare longius abduxit, rursusque in littus deposuit. Alexander Neptuno gratum puerum esse dixit: quapropter hujus Numinis sacris continuo praefecit. Diar. Alexandr. Refert Athen. 13. n. 7. Strabo, 14. n. 31. Plin. 9. cap. 8. Dalecamp. hic & Alex. Neapolit. 2. cap. 6. Plura videtis, Isagog. Novembr. n. 14. & 19. Pausan. cap. 109. Ego sanè (ait) delphinum vidi, qui puero a quo sanatus fuerat, cum a piscatoribus vulnus accepisset; quasi mercedem curationis penderet, dicto se audientem praebat, & eundem quocumque ille jussisset dorso transvehebat.

19. In Arcadia eodem die sacra Dianae Apanchomene, quae prius dicebatur Condyleatis, a quibus excludebantur pueri. K. Graec. Modò dicta Apanchomene, id est, ha- queo strangulata; quoniam cum juxta ejus

Diana Condyleatis, & Apanchomene.

templum aliquot pueri luderent, invento forte funiculo, Diana signum obligato collo per lulum trahentes, Dianam strangulari, dicitabant. Eos Caphyenses cum deprehendissent, lapidibus obruerunt: quod tamen factum non bene eis celsit: communis enim pestis feminis incepsit; ut omnes quae uterum ferrent, fetus per abortum abijcerent mortuos: neque autem malum cohiberi potuit, quam Oraculi monitu iussi sunt, sepulturae pueris honorem habere, & illis quotannis inferias mittere; quod insontes perempti essent.

Imago. Pausan. cap. 254. Iccircò sacris & templo arcentur pueri, ne iterum Diana laqueo suspendatur: cuius simulacrum habebat funem ad collum, & in capite sextile Lunae, ad pedes canem, ac in dextrà arcum sine sagittis. Pier. Valerian. 38. cap. 32. Historiam refert etiam Gyrard. *syn- tagm.* 12. n. 44.

20 Inter Aegyptios, 5. Phamenoth summè festivus propter sacra Deae Maxima. K. Aegyptiac. Quenam Dea Maxima divinare debemus. Isthoc nomen titulusque duntaxat invenitur apud Herodotum, 2. n. 12. Isis absolutè Dea Aegypti, at apud Kircher. intelligitur Venus Aegyptia, de qua infra. Sacrificium & victimae ritus profertur ab Herodoto, d. Quam igitur (infit) Deam Maximam esse censeant, & cui maximum festum celebrent; jam nunc dicam. Posteaquam jejunaverunt pridie festi, atque obdormierunt; bo-

rius sa-
corum &
victime.

vem immolant, eumque corio exuunt & alvo totà vacuant: intestina intra ventrem adipemque relinquunt: crura truncant & extremos lumbos, arnosque ac cervicem. His actis reliquum bovis corpus stipant panibus puris & melle, & vud passà, & ficis, & thure, & myrrha, atque alijs odoribus. Ubi hac insarserunt, adolent, multum vini oleique effundentes; jejuni tamen, priusquam sacrificent. Dum sacrificium ardet, omnes verberantur. Posteaquam vapulaverunt, dapes ex sacrificij reliquijs proponuntur. Boves mares, eosdemque mundos, ac vitulos universi Aegyptij immolant: at feminas eis immolare non licet; utpotè Isidi consecratas: nam Isidis simulacrum muliebre est, bubulis praeditum cornibus; quemadmodum Jo Graci describunt.

21 Quae à praefato Herodoto Dea Nephth. Maxima insignitur Isis Aegyptia, seu Aegyptia Venus, vel Venus caelestis, Urania, ac Caestis femina, pulchra & perfecta dicitur à Kirchero ex pluribus AA. Tom. 1. Oedip. Aegypt. Syntagm. 4. cap. 13. & Tom. 3. Syntagm. 1. cap. 5. Inter Coptos frequentiore titulo Nephth, de cuius sacris, varijsque imaginibus, fusè 1. Decembr. In Mensa Isiac. sunt ejus singulares imagines, illius virtu-

tum, munerum ac gratiarum hieroglyphica, utpotè inventa & excogitata in Aegyptiorum schola. Foemina pingitur respectu Solis superioris dominantis, sed in subditos vim masculam possidens: velato tutulatoque capite sedet in throno, cui substat figura Genij boni, adinstar Angeli, sive alati ministri, geniculati, in modum supplicis; in manu loti florem habentis, sicut ad pedes leonem; figuræque avis & crux anata. Etiam ibid. figur. 5. effigiatur foemina genuflexa cum canistro, & agathogenio figurà serpentis aspidis, & capite accipitrino alis expansis, bisulcæque flammà, quasi radijs. Similiter pingebatur imagine foeminae tendentis, pennam ibidis tenentis in dextra, cum loti, perfeaæque folijs intermedijs: cui adstabat Androsphinx, hoc est, figura leonihumana, alis conspicua. Nescienti mysteria, haecine videbuntur instructa à petulca phantasia, vel in risum ludicra. Si expositio desideratur, invenitur apud Antiquarium insignem, Kircher. loc. cit. & in Obelisco Pamphil. lib. 9. in Hierogrammatism. Idear.

22 Quasi tutelatrix, malorumque expultrix etiam ejus imago objecta, atque in caelo collocata; ut excussa in Aegyptiorum Zodiaco ad Hemispherium Boreale; ubi sedens obijcitur, cum scutica, tutulo, aspidibus variegato, & cruce anata; cum alia geniculata figura. Hieroglyphica delicat Kircher. d. Tom. 2. p. 2. Class. 7. cap. 7. Res sibi commissas curæ habet, & contra injurias defensionem suscipit. Sedet (ait) ad indicandam potestatem: scuticam in manu tenet, ad propulsationem malorum, arcane significandam: tutulum gerit germinibus compactum, ex quo serpentes emergunt; ad vitam & fecunditatem, quam confert, indicandam. Crucem anasatam gerit, ad influxum amplitudinem. Estque simulacrum alterius Numinis Tutelavis, genibus flexis, contra Draconem, ut protegat. Hinc etiam pingebatur duobus sceptris, in loti florem desinentibus: in quorum dextro Androsphinx collocata: in sinistro herba Modmodin, quam Mystæ vocant Sanguinem Martis, & Antidotum mortis; ut idem refert de Herbis Aegyptior. in Theatr. hieroglyphico, cap. 2. §. 34. & cuius saepe meminit Tabula Bembina. Sat ergo de Dea Maxima: alia alibi.

23 Hac etiam die juxta Abenephium in Histor. Arab. dirutum monumentum Zoroastri, quò ejus conditi cineres, Perlis ab ipso praenunciato omine integritatis & imperij permanentiae, si ibidem reliquie conditæ, ut vidimus 12. Januar. à n. 8. observat-

Alia simu-
lacrata.

Herba Mod-
modin.

Monimen-
tum Zoroa-
stri.

vatque Jacob. Boulduc, 2. de Eccles. ante leg. cap. 11. Aperto loculo hujus insignis Magi, inventi simul ejusdem fuffuris libri, qui sunt quatuor de Natura, de Gemmis, unus: de Apotelesmatibus asterolopis, quinque, & etiam Oracula, seu Symbola Chaldaica. Juxta Eusebium, alter etiam liber, dictus Sacer. Juxta Constant. de Re rustica, alius de Signifero, & significacione Tonitru. Videtis Gyrard. de Poetis, Dialog. 2. Plin. 30. cap. 1. Coel. Rhodig. 2. cap. 23-3. cap. 6. & 9. cap. 23. Jul. Caesar. Bulenger. 1. de Magia, cap. 1. & 6. & Diodor. Sicul. 2. Biblioth. n. 9.

24 Tres fuisse Zoroastres, praefati AA. astruunt; sed nescitur cujus fuerint Oracula, seu Symbola. Arbitror ex tenore sententiarum fuisse Zoroastrem Pamphilum, seu secundum, dictum Proconnesium (non Chamum, vel Mesraim, de quo, doctrinae commendatione, Magiae praestigijs, ut fatuos seduceret; scribit Rhodigin. d. lib. 3. cap. 6. Arbitrantur Chaldaeorum scientissimi à rationali anima id (quod non ferè mirabilis quicquam) quandoque effici quòd radiorum splendore ab ipsa manantium, illustratum diviniore modo corpus; ita ut surragatur in sublime, ad id maximè conferente insita radijs levitate: quod Zoroastri, veteris Theologiae peritissimo centigisse, proditum memoria scimus. Ibid. ipse (dum cuncti Magiae transfigurationem apparentem attribuant) asserit fuisse glorificationem, quod quidem ludicrum. Pende. Contigit hoc potissimum (infit) ubi tota in Deum, patrem luminum, consurgit anima, & illic amplissima luce perfusa collustrataque rapitur coruscans, atque similiter luminoso claritatis radios transmittit in corpus. Hac est anima quae solà mente vivens evadit Angelus, ac toto peccatore Deum concipit: de qua Magorum princeps (Zoroastres) ita cecinit, ad verbum ferè translata sententia: Hominum anima quodammodo Deum contrahit in seipsam; quando nihil retinens mortale, tota divinis hausibus inebriatur. Profectò doctrina sana & catholica, quam etiam denunciavit Plato in Pimandro, Hermodorus, de Discipulis, Diogen. Laërt. in Proem. ad Vitas Philosophor. & Suidas in Zoroastr. Longè tamen à Pithonismo, unde de foeminis fanaticis dicunt Poetae: Plena Deo.

25 Oracula memorata Michael Pselus exposuit uberiore obscuritate. Hermippus de hujusmodi arte scripsit diligentissimè, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positus, explanavit: inquit Gyrard. d. Mopudus ac stylus sententiarum haud olet diale-

Apertum, ubi libri ejus inven-
ti.

Præstigiæ.

Unde in corpus anime radij?

ctos idiomatis Assyrij, sed Aegyptiaci, ut constat ex Trismegisto, & Jamblico in Aegyptiorum Mysterijs. Thom. Stanlejus in Historia Philosophia Orientalis (quam ex Anglico in Latinum idioma vertit Joann. Crec) in Proem. lib. 4. de hujusmodi Oraculis ait: Sub nomine Zoroastri circumferuntur. Non desunt quidem qui ea quasi supposititia damnent, dicantque à Graculo Pseudo-Christiano conficta: fortè quia sectatores Prædici heretici dicitabant, se arcanos Zoroastri libros habere. Joannes Picus Mirandulanus agebat sibi esse ipsum exemplar Chaldaicum. Sit ergo vel non sit. A pluribus oracula sunt collecta, sed novissimè à Crec exposita notis selectioribus, & divisa per materias, quas apponerem cum symbolis, ni apud praefatum Auctorem facile possent legi, sed difficile interpretari propter obscuritatem. Proclus in Timaeum Platon. asserit, hujusmodi Assyriam Theologiam à Deo revelatam fuisse. Saepè his symbolis utitur ad explanationem sapientie occultae mystarum Coptorum, eruditus Athanas. Kircher. in Prodrom. Copto, & in Oedipp. Aegyptiaco, ex AA. interpretibus, alijsque viris eruditionis singularis. Aliqua etiam dicemus 8. Jun. ubi memoria de Mente.

DIES VI. FEBRUAR.

GRad. 16. Aquarij, qui faustus exponitur à Darioto. Sub quo qui nati potissimè ex igne clamorata opera affabrè & scite perficiunt. Jul. Firmic. Crus dextrum Aquarij vesperè occidit. Junctin. K. A. Fiducula occidit, & Favonius ab occasu stat. Ptol. Ovid. 147.

Quin etiam si quis Boream horrere solebat, Gaudeat: à Zephyris mollior aura venit. Est autem Favonius genialis mundi spiritus, qui Græcè Zephyros vocatur, flans ab occasu æquinoctiali adversus Eurum, sive Vulturum. Plin. lib. 2. cap. 47. Flatus Favonij vernum tempus: lib. 18. cap. 25. & 26. Equarum à Favonio vento conceptu nobile: lib. 4. cap. 22. & 16. cap. 25. Candidus dicitur ab Horatio 3. Carm. Od. 7. v. 1. quia vernum aërem clementiorem facit. Torrent. hic: unde Lucret. 5. de Rer. natur. v. 701.

It ver & Venus, & Veneris prænunciis ante Pennatus graditur Zephyrus.

Olim ventis sacra fiebant, ut dicemus 8. April. Alexandriae Zephyrus templo honoratus, ubi, ut ait Athenæus, pag. 245. lin. 13. & Dalecamp. in Plin. 7. cap. 37. litt. E. In templo Zephyri à Cresbio vas fabricatum, quod ap-

VIII. Id.

Ovid.

Lucret.

Zephyrus, templum, & vas.